

151. AENEAS CVM ANCHISA.

Descriptio Virgiliana per omnia hinc imagini convenit. Conspicitur Anchises velato capite, ob causam relatam a Plutarcho in Quæstionibus, quia Romani in salutandis Deis & in sacrificiis velabant caput in signum reverentiæ & humilitatis ex more per Ænean in Italiam inducto. Hinc Anchises portans secum in vase illo penates Deos, toga frontem operit.

*Ergo age care pater, cervici imponere nostra:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit,
& mox.*

*Tu genitor cape sacra manu patriosque penates.
& mox.*

*Succedoque oneri, dextra se parvus Julius
Implicuit, sequiturque patrem non passibus aquis.*

152. ANCILIA.

In imaginibus duorum sacerdotum Saliorum industrie est depicta toga vel tunica ab Latinis cognominata *pieta*, instituta ab Numa Pompilio, ut narrat T. Livius. *Salios item duodecim Marti Gradivo legit, tunicaque pieta insigne dedit.* Hi Salii non exhibentur in habitu saltantium, ut solebant, percutientes scutum cum apice aut galea in capite, sed capite velato ad ritum Gabinum, convenienter ad habitum Numæ, quum is idem videret ancile e cælo labens. Sic enim describit Ovidius in Fastis.

*Constitit, atque caput niveo velatus amictu
Jam bene Dis notas sustulit ille manus.*

Toga